

accipiant eorum quæ non plene naturali ipsorum cognitioni subsunt, sicut sunt futura contingentia, et ad hoc dicuntur esse acuti per experientiam.

Ipsemet D. Thomas in Summa Theologica (1: q. 54: a 1) hæc etiam habet: «Dionysius inquit: data sunt dæmonibus aliqua dona, quæ nequaquam mutata esse dicimus, sed sunt integra et splendissima: Inter ista autem naturalia dona est cognitio veritatis: ergo in eis est aliqua veritatis cognitio.—Duplex est enim cognitio veritatis; una quæ habetur per naturam; altera quæ habetur per gratiam. Et ista quæ habetur per gratiam est duplex; una quæ est speculativa tantum; sicut cum alicui aliqua secreta divinorum revealantur; alia vero quae est affectiva, producens amorem Dei, et hæc proprie pertinet ad donum sapientiae. Harum autem cognitionum prima in dæmonibus nec est ablata nec diminuta, consequitur enim ipsam natum angelii qui secundum suam naturam est quidam intellectus vel mens. Propter simplicitatem autem suae substantiae a natura ejus aliquid subtrahi non potest, ut sic per subtractionem naturalium puniatur, sicut homo punitur per subtractionem manus aut pedis aut alicujus hujusmodi. Et ideo dicit Dionysius quod dona naturalia in eis integra manent; unde naturalis cognitio in eis non est diminuta.

Sanctus Bonaventura in expositione super Magistrum itaque thesism nostram obfirmat: «Peccatum non est contra actum, sed contra ordinem actus: ergo non est contra cognitionem simpliciter, sed contra cognitionem ordinatam in finem: si ergo cognitio speculativa, quantum est de se non dicit cognitionem ordinatam in finem, patet, quod per peccatum non debet depravari. «Attamen hanc apponit ipsemet S. Bonaventura conclusionem: «In dæmonibus judicium intellectus speculativi etsi maneat integrum quantum ad substantiam potentiae, tamen per culpam est aliquo modo obnubilatum; judicium vero intellectus practici est omnino subversum»; quod itaque probat: Deception vel error venit ex deordinatione, sive deviatione judicii. Judicium autem duplex est in quolibet ratiocinante; unum quod est cognoscendorum, quod est veri sub ratione veri; aliud agendorum, quod est boni sub ratione boni. Et primum est intellectus speculativi, nec spectat ad liberum arbitrium; secundum vero est intellectus practici et est pars liberi arbitrii. Primum judicium etsi maneat integrum quantum ad substantiam potentiae nihilominus per culpam est in angelis aliquo modo obnubilatum, quia errant frequenter in judicando de multis et in multis decipiuntur maxime cum judicant de contingentibus. Aliud judicium est in eis omnino subversum, et quantum ad hoc excaecati sunt angelii mali, sicut quantum ad effectum obstinati, et propter istius judicii subversionem dicuntur facti tenebra et dati in reprobun sensum.

(Continuare)